
AD QVODLIBETARIAM QVAESTIO MEDICA MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS V. FEBRVARII. M. PH. HARDVINO DE S. IAQVES, DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An fœtus integra formatio diuersis temporibus absoluatur?



CVM omnibus animantibus fatalis insit moriendi necessitas, finisque ab origine pendeat, propter principiorum ex quibus constamus repugnantiam, & insiti caloris efficientiam, quæ temporum ætatumque decursu nos sensim in extremum senium, mortemque deducunt, natura sui operis conseruandi studiosa, tot densisque funeribus ita prouidit vt singulorum hominum casus, perpetua sobole, ortuque vicario compensaret, in eum finem, non solum vim procreandi, sed etiam commoda instrumenta iis contulit, quibus etiam incredibilem adiecit voluptatem, ne ab opere tam vili sed ad speciem conseruandam necessario, distraherentur. Tanta enim vis est huius cupiditatis, vt bruta etiam stimulet ad sui generis propagationem, sed statis solùm temporibus. Quò fit vt statum tempus habeant & pariendi & partus gerendi. At homo quouis tempore gignit & gignitur, sed verno securius, quô magis abundat sanguine, & meliore fruitur valetudine.



EST autem procreatrix facultas omnium naturalium prima & vltima. Quæ vt pueris denegatur sic viget adultis & iuuenibus: languet senibus & valetudinariis: Deficit verò mulieri viro frigidiori post annum quinquagesimũ, sicut & menstrua purgatio: At prouectis ætate viris nullæ feriæ præscribuntur. Huius sedes, partim iecur est, fons & origo sanguinis, ἡ τῆς ἐπιθυμίας: partim testes gemini, qui sanguinem attractum percoquunt, & in seminis substantiam conuertunt. Quorum tanta vis est & dignitas, vt non solum cordi quoad speciei tutelam, præferantur, sed etiam suâ præsentiâ virilem habitum, calorem auctiorem, maius robur, vitamque præstent salubriorem. Quamobrem nulla potior causa est dissoluendi matrimonij, quàm quæ petitur ab eorum defectu, vel nimia refrigeratione, quæ vel steriles vel ignauos ad venerem efficit.



EX tribus quæ ad hominis generationem concurrunt facultatibus, procreatrix in vtero dominatur, vt quæ ex semine & sanguine menstruo, duobus vitæ nostræ principijs, nouam producat substantiam. Cui hac in re duæ nutrix & auctrix opitulantur, dum illa materiam, hæc quantitatem genituræ tribuit: vt per nutritionem aucta tot tantisque partibus constituendis sufficiat. Interim dum suo vacat muneri duplici vtitur facultate: vna quidem alteratrice, quæ primis vsa qualitatibus subiectam materiam immutat, & ex ea cuiusque partis similaris substantiam producit. Cuius idcirco nulla alia forma est, quam temperies: Altera formatrice, quæ miro quodam artificio partes organicas effingit, & eleganti serie distinguit. Ex quo fit vt cœlesti cuidam virtuti rerum omnium seminibus infusæ accepta feratur.



SED quoniam perfecta animantia, maris in alio & fœminæ in se ipsa generantis, sexu distinguntur, ab vtroque semen conferri necesse est, vt ex vtroque tertium quidpiam promanet, quod speciei & formæ vtriuslibet sexus similitudinem, moresque & naturam referat, quod vt fiat duo maximè requiruntur. Prius vt semen sit probè coctum, substantia crassum & glutinosum, colore album, quantitate moderatum, origine à toto deciduum, multoque spiritu perfusum & virtute animatum. Quale semen non solũ est γόνιμον, sed etiam ἀῤῥενογόνον: Alioquin si sit frigidius & imbecillius, quale ab ægris, senibus & temulentis profunditur, si non sit ἄγονον, vel erit θηλυγόνον, vel paternorum vitiorum vehiculum: Alterum est vt in organis nec bona temperies, nec iusta symmetria desideretur, maximè verò in vtero naturæ fundo, qui nec æstu nimio semen torrere, nec frigore extinguere, nec humoris copia obruere, nec denique siccitate possit corrumpere.



CONCEPTO iam semine fœtum naturæ legibus procreari conuenit. Quod opus est facultatis formatricis in semine latentis: quæ statim ab initio partium solidarum & principum, caloris & spiritus ope, prima ducit lineamenta, omniumque conformationem simul aggreditur, sed non pari tempore perficit. Quum enim magna sit earum in magnitudine, dignitate, vsu & robore varietas, non potest pariter vniuersas promouere: Vnde citius aliæ, plures tardius formam integram consequuntur: Sic iecur inter partes principes primum emicat, cæteris nutritionem & augmentum præbiturum, viscerumque & musculorum interstitia carne sensim repleturum. Sequitur cor viscerum calidissimum, ex simili sanguine conflatum, suo vitali calore actiones longè vegetiores redditurum: postremum omnium cerebrum, frigidum & humidum perficitur: tumque fœtus sensu motuque animali donatur. Quod celerius accidit maribus quàm fœminis. Absoluto ita fœtui rationalis anima cœlitus infunditur, quem ita perficit, vt cæteras facultates quæ prius inerant, sibi subiiciat & complectatur.

Ergo fœtus integra formatio diuersis temporibus absoluitur.

Asserebat LVTETIÆ IOANNES PIETRE Parisinus, anno Domini 1609.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Stephanus de la Font.
M. Carolus Bouuard.
M. Claudius Charles Professor Regius.

M. Guirinus Vignon.
M. Dionysius Guerin.
M. Iacobus Lætus.

M. Ioannes Beauchesne.
M. Ioannes Hautin.
M. Bartholomeus Perdulcis.


BIBLIOTHEQUE